

Cardamines. Dentariae etc. quas caecus agnoscat congeneres.

Dicit cum Kramero *sexum culturâ et anno mutari*, quod planissime veritati adversatur.

Voluit ordines naturales, ideoque condidit novos: sc. 11, 12, 13, 30, 31, 33, sed omnes erroneos.

11. Quid Circaea (Valerianae affinis) Cornus (Stellatis affinis) Vaccinium, Tamus, cum Campanula, Epilobio.

12. Quid Erica, Datura, Ligustrum, Gentiana.

13. Hypericum cum Pari, Ruta, Rusco, Acere.

31. Veratrum, Sagittaria, Butomus (Monocotyledones) cum Delphiniis, Dictamno etc.

33. Fraxinus, Staphylaea cum Icosandris.

Rorippa ejus genus minime valet.

Nomina specifica plura nova fecit, omnia pejora.

Negat ex Salice sexum posse constituere classes etc. sed demonstrat mihi unicam partem fructificationis, quam non ostendam in aliquo genere errare. Character fiat ob genus, nec vicissim.

Accepi nuper *Gorteri Floram Ingricam*, plantarum circa Petropolim nascentium, plantae plurimae conveniunt et communes sunt cum succicis. Nollem quod tempus falleres in alpibus, posses facile incurrere morbum calidissimis regionibus adsuetus; habes satis pro aeterna nominis gloria, si edas Tua, quanto ocyus, nec credas Tua fatis invidis.

Si habeas semina Hibisci spinificis et clypeati, v. Ure-nae sinuatae, quaeso mittas.

(Epistolae datae dies adscriptus non est, notatur manu Jacquinii: Respondi 27. Januarii 1762.)